

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 4 (1890)

Artikel: Analysis actus spei [Fortsetzung]
Autor: Waffelaert, G.J.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761835>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 18.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



ANALYSIS ACTUS SPEI.

AUCTORE DR. WAFFELAERT PROF. SEMINARII
BRUGENSIS.



III.

De spe theologica, in ordine praesenti supernaturali.

Quoniam actus, sicut et habitus, ut pluries dictum est, ab objecto suo formali ac motivo speciem habent, in facienda analysi spei theologicae, ab hujus objecto definiendo ordiri oportet.

Ex praecedentibus jam habemus objectum spei in communi esse bonum, futurum, arduum, possibile assequi; et spei quidem, ut est actus et habitus voluntatis specificus, quo finem ultimum speramus, objectum esse bonum, nempe bonum finis ultimi, futurum, arduum, possibile per omnipotentiam Dei auxiliantem.

Remanet igitur haec in specie applicare spei theologicae in ordine praesenti supernaturali, definiendo quodnam praecise bonum sit objectum proprium illius spei, et quomodo in eo verificentur rationes futuri, ardui, possibilis, ita ut ad motivum formale proprium et specificum deveniamus.

Inde facile et subjectum proximum spei theologicae determinabimus, et quaecumque de habitu seu virtute spei ejusdem, necnon de proprietatibus ejus notatu digna sunt, eruemus.

Jamvero, omnibus compertum est spe theologica primario sperari beatitudinem aeternam seu finem ultimum supernaturalem, quem tantummodo consequi possumus auxilio supernaturali omnipotentis Dei. Unde statim apparet, de spe theologica valere, attento tamen discrimine inter ordinem naturae et ordinem gratiae, quae supra in secunda parte hujus dissertationis disputavimus

de spe voluntatis specifica circa finem ultimum naturae; ita ut facile jam constet objectum materiale primum circa quod versatur spes theologica seu objectum ejusdem terminativum esse finem ultimum supernaturalem seu beatitudinem aeternam; objectum autem formale; eundem finem ut supremum bonum nostrum, futurum, arduum, at possibile per auxilium supernaturale omnipotentis Dei; motivum vero, esse hanc ultimam formalitatem, omnipotentiam nempe Dei auxiliantis, a quo motivo haec spes speciem habet.

Haec omnia complectitur S. Thomas in q. unica de spe, inter qq. disp., art. 1, in corp., ubi ostendit spem theologiam esse virtutem: „In objecto spei quatuor considerantur. Primo quidem quod sit bonum, per quod differt a timore. Secundo quod sit boni futuri, per quod differt a gaudio vel delectatione. Tertio quod sit boni ardui, per quod differt a desiderio. Quarto quod sit boni possibilis, per quod differt a desperatione. Est autem possibile aliquod haberi ab aliquo dupliciter: uno modo per propriam potestatem; alio modo per auxilium alterius . . . Sic igitur quandoque sperat homo aliquid adipisci per propriam potestatem, quandoque vero per auxilium alienum: et talis spes expectationem habet, in quantum homo respicit in auxilium alterius: et tunc necesse est quod motus spei feratur in duo objecta, scilicet in bonum adipiscendum, et in eum cujus auxilio innitur. Summum autem bonum, quod est beatitudo aeterna, homo adipisci non potest nisi per auxilium divinum, secundum illud Roman., VI, 23: Gratia Dei vita aeterna: et ideo spes adipiscendi vitam aeternam habet duo objecta, scilicet ipsam vitam aeternam, quam quis sperat, et auxilium divinum, a quo sperat; sicut etiam fides habet duo objecta, scilicet rem quam credit, et Veritatem primam, cui correspondet. Fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhaeret testimonio Veritatis primae, ut ei credat quod ab ea manifestatur, secundum illud Genes., XV, 6: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam: unde et spes habet rationem virtutis ex hoc ipso quod homo inhaeret auxilio divinae potestatis ad consequendum vitam aeternam. Si enim aliquis inniteretur humano auxilio, vel suo vel alterius, ad

consequendum perfectum bonum absque auxilio divino, esset hoc vitiosum, secundum illud Jeremiae, XVII, 5: Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. Sic igitur, sicut formale objectum (objectum formale quo seu motivum) fidei est Veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his quae creduntur, quae sunt materiale objectum fidei; ita etiam formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale objectum spei. Sicut ergo ea quae creduntur materialiter, omnia referuntur ad Deum, quamvis aliqua eorum sint creata, sicut quod credimus omnes creaturas esse a Deo, et corpus Christi esse a Filio Dei assumptum in unitate personae; ita etiam omnia quae materialiter sperantur, ordinantur in unum finale speratum, quod est fruitio Dei; in ordine enim ad hanc fruitionem speramus adjuvari a Deo non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficiis.“

Obiter notemus quomodo S. Thomas rite indicet objectum materiale spei theologicae, tum primum et principale, beatitudinem aeternam, tum secundarium, media quaevis et auxilia ad finem (et cf. 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 2); ita ut Deus, seu finis ultimus objectivus, sicut in fide, ita in spe, sit subjectum attributionis, ut ajunt, quippe quem propter se nobis speramus, et reliqua omnia propter Ipsum; et ab Ipso principaliter speremus, ab aliqua vero creatura secundarie tantum (cf. ead. q. 17, art. 4). Deinde etiam S. Doctor indicat quomodo objectum formale quo seu motivum spei theologicae sit connexum cum objecto materiali primario, ratione nempe formalitatum quae objectum formale quod constituunt: scilicet, quoniam objectum primum est summum bonum nostrum et futurum, cupimus illud consequi, quoniam arduum est, nec sine auxilio Dei consequendum, ipsi Deo innitimur, ita ut Deus simul speretur principaliter ut beatificans, et sit motivum sperandi ut auxilians; sicut in fide simul Deus principaliter creditur, et est motivum credendi. Et sicut in fide, credendo quamvis veritatem revelatam, etiam circa res creatas, propter Veritatem primam, eo ipso credimus actu implicito Veritatem primam: ita in spe, sperando quodvis medium ad finem

ab ipso Deo, implicite speramus Deum auxiliatorem. Ex quibus pronum erit concludere, sicut fidem, ita et spem esse virtutem, id est, sive actum sive habitum virtutis, (et cf. 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 1), et virtutem quidem theologicam (cf. *ibid.*, art. 5) et specificè diversam ab aliis (cf. *ibid.*, art. 6).

Sed haec doctrina S. Thomae, tum in recitato textu, tum in aliis citatis locis, diligenti consideratione indiget, et recta interpretatione egent illi textus, praesertim 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 2 et 4, de quibus mox sermo recurret. Aggredimur itaque ulteriorem explicationem objecti materialis, et formalis, singularum nempe formalitatum ejusdem earumque connexionis, item et motivi formalis spei, ut est actus et habitus specificus circa finem ultimum, tum in ordine naturae tum in ordine praesenti; quam quidem explicationem penitiorè ex secunda parte hujus nostrae dissertationis huic loco reservavimus, quoniam principale intentum nostrum est de spe theologica seu divina ac supernaturali, nec amplior declaratio ad sternendam viam ad hoc intentum tunc erat necessaria; et quoniam caeterum ea quae de spe supernaturali dicemus, attento discrimine utriusque ordinis, facillime transferri possunt ad spem specificam voluntatis in ordine naturae.

Et primo, agendo de objecto materiali spei theologicae, omnibus quidem compertum est beatitudinem aeternam esse id quod spe theologica primario speramus; sed quia beatitudo alia est objectiva, et haec est ipse Deus, ut visus, seu ut consequibilis per actus nostros, in quo Deus importatur in recto, et consecutio in obliquo; alia vero est formalis, et haec est actus quo Deum consequimur, in quo actus creaturae importatur in recto, et Deus connotatur in obliquo; hinc est quod quidam cum Durando in 3, dist. 26, a. 2, putant solam beatitudinem formalem, non vero objectivam, esse objectum primum spei theologicae. Alii eandem beatitudinem formalem saltem pertinere ad idem objectum tenent, nedum in modum conditionis et de connotato, sed etiam in modum partis et objecti inadaequati; alii tandem quidquid sub Dei potestate cadit et a Deo sperari potest, sive creatum sive increatum, sive naturale sive supernaturale, pertinere censent ad objectum immediatum quod spei

theologicae, de quibus vid. Salmant., tr. XVIII, de Spe, disp. I, dub. I, § IV, n. 17.

Itaque, posita distinctione praedicta inter finem ultimum objectivum et formalem, et rursus inter objectum primum, qui est ipse finis, et secundarium, quae sunt media quaecumque ad finem, quae non nisi in ordine ad finem sperantur, sequentia statuimus.

Objectum primum et immediatum spei theologicae est finis ultimus objectivus, nempe ipse Deus, ut connotans consecutionem suam, quae est per visionem beatificam; nihil vero creatum, ne ipsa quidem beatitudo formalis seu visio beatifica, pertinet ad objectum spei primum ut pars et in recto, sed tantum ut conditio objecti seu in obliquo. — Nihil tamen prohibet creata seu media quaecumque ad finem, qua talia constituere objectum secundarium, quod speretur praecise in ordine ad primum.

Primam partem nostrae assertionis ratione d. Thomae, 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 2, probamus cum Salmanticensibus, quos priores recitamus, ut clarius argumentum appareat; textus enim S. Doctoris, quem deinde statim subdemus, nonnulla interpretatione indigebit.

„Illud bonum, ajunt Salmant., de Spe, disp. I, dub. I, § I, n. 1, est objectum primum quod terminativum spei, quod primario cadit sub ejus motivo. Sed hujusmodi est solus Deus. Ergo solus Deus est objectum primum quod terminativum spei. Major et consequentia patent. Minor autem probatur, quia motivum, cui spes in attingentia boni, quod sperat, innititur, est infinita Dei virtus (ut hic supponitur ex praecedentibus, et amplius declarabitur infra). Sed bonum ad quod primario et principaliter infinita Dei virtus perducit, est ipse Deus: tum quia nullum aliud bonum eam virtutem adaequat, tum quia nihil magis quam Deus praedictae virtuti proportionatur. Ergo solus Deus est bonum primario cadens sub motivo spei theologicae.“

Verba S. Thomae sunt haec: „Spes, de qua loquimur, attingit Deum innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causae proportionatum: et ideo bonum quod proprie et principaliter a Deo sperare

debemus, est bonum infinitum quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita aeterna, quae in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid ab eo sperandum est quam sit Ipse, cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturae communicat, quam ejus essentia: et ideo proprium et principale objectum spei est beatitudo aeterna.“

Ne fallamur, sed rite perspiciamus sensum S. Doctoris, notemus primo, cum Cajetano in h. l.: „Quod sermo praesens est de beatitudine objectiva, et formali: sed de beatitudine formali contingit loqui dupliciter. Primo, secundum id quod in se formaliter est [seu in recto]. Secundo, secundum quod est talis objecti [seu in obliquo]. Praesens sermo est de beatitudine formali, ut est talis objecti, id est, ut est assecutio Dei. Hoc enim est principale consideratum in beatitudine hic; et sic a spe principaliter attingitur. Spes enim, ut infra patebit (art. 5, de quo verbum dicemus), principaliter est de Deo; et de beatitudine formali non est, nisi ut est ad Deum conjunctio. Et ideo principaliter est sermo hic de beatitudine objectiva connotante formalem. Et propterea litera et effectus meminit et Dei: utrumque enim hic invenitur. Nam beatitudo formalis effectus est quidam divinae virtutis contingens Deo. Unde non subsumitur Deus ut effectus, sed ut objectum effectus, ut etiam ipsa literae verba indicant.“

Ex quibus etiam intelligere licet rationem effectus aequivalenter tantum convenire objecto spei, quatenus ita se habet istud objectum ad Dei virtutem, ac si esset ejus effectus; item rationem effectus convenire objecto spei, non secundum id quod est, sed secundum conditionem visi, quam importat in obliquo, sicut ob eandem etiam rationem dicitur futurum et arduum.

Unde si objicias: objectum spei debet esse futurum, arduum et possibile; atqui Deus nequit dici futurus, arduus, possibilis; sed assecutio ejus. Ergo Deus non est objectum spei; sed beatitudo formalis.

Respondetur facillime. Dist. maj. Objectum spei debet esse futurum, arduum, possibile, in se, nego; ratione assecutionis,

subdist., tamquam conditionis connotatae, conc.; tamquam rei speratae, neg. Contrad. min. Deus non est futurus, arduus, etc., in se, conc.; sed ratione assecutionis, subd., tamquam conditionis connotatae in obliquo, conc.; tamquam rei speratae et in recto, neg.

Quomodo objectum spei non debeat esse in se futurum, arduum, possibile, optime explicat Cajetanus, in 2^m 2^{ae}, q. 18, art. 2, ubi ait: „Aliquid spectare ad rationem formalem objecti, contingit dupliciter. Uno modo ex parte rei objecti secundum se; alio modo ex parte subjecti. Objectum spei ex parte rei est ipse Deus; ex parte vero nostrî redundat in objectum, esse futurum nobis, sicut objectum fidei esse non apparens, ut ex antedictis patet. Nihil autem prohibet hujusmodi conditiones denominativas esse de ratione formali objecti sic, quod subtractio earum solvat speciem actus et habitus. Objectum namque prius comparatur ad subjectum, quam ad actum vel habitum. Et propterea conditiones redundantes in objectum ex subjecto, praevenientes actum et habitum, ad integritatem formalis objecti actus vel habitus spectare possunt. Nec obstat quod entia rationis sunt hujusmodi denominativae conditiones. Habent enim reales causas, quibus repugnant aliae reales causae in eodem, ex quibus redundant oppositae denominationes in objectis. V. g. in objecto fidei et spei, non videri est conditio denominativa tantum: sed causa ejus, puta, talis dispositio subjecti, est realis; et huic dispositioni reali contrariatur alia dispositio realis in eodem, puta, esse affectum lumine gloriae consummatae, ex qua in objecto redundat opposita denominatio, scilicet esse visum.“

Et haec fere sufficiunt circa probationem allatam primae partis assertionis nostrae. Et certe, si bene retineatur distinctio inter beatitudinem objectivam et formalem, hancque ut conditionem objecti connotatam in obliquo, vel ut in recto secundum se consideratam, quasi esset objectum aut pars objecti, fere omnibus difficultatibus solvendis ea distinctio sufficet.

Unum forte addi meretur. In praedicto argumento S. Thomae non necessario et universaliter supponi, quod si motivum habitus

est aliquid increatum, eo ipso objectum quod debeat esse increatum; sed secundum subjectam materiam hoc intelligendum est: cum enim spes eo erigatur ad majus bonum, quo majori virtuti innititur, recte infertur, quod si virtus cui innititur spes theologica, non sit minor quam Dei virtus, bonum spei terminativum non sit minus quam bonum infinitum, ita ut salvetur debita proportio inter motivum sperandi et bonum speratum. Nec etiam dicitur a S. Doctore, quia virtus Dei est infinita, eam necessario et semper perducere debere ad bonum infinitum, aut bonum finitum non requirere aliquando virtutem infinitam; sed, quia proprium est infinitae virtutis ad infinitum bonum perducere, ideo bonum quod proprie et principaliter speramus esse bonum infinitum, siquidem nullum aliud adaequat virtutem Dei, et simul satiat appetitum spei.

Nec reponas possessionem Dei vel Deum possessum per visionem beatificam satiare appetitum, adeoque hanc possessionem esse objectum spei, vel saltem illud ingredi, aut tandem Deum non esse objectum integrum immediatum, cum mediante visione attingatur.

Nam rursus eadem distinctio recurrit de possessione Dei in recto, vel in obliquo, ut supra. Et certe visio beatifica in recto nequit esse finis ultimus objectivus, seu finis qui seu cujus gratia, ut loquuntur, cum ipsa visio sit ulterius referibilis in Deum, nec ipsa secundum se est forma satians sed hujus assecutio et possessio, nec est objectum spei sed possessio objecti sperati et cum eo conjunctio. Quod autem forma non actuatur nisi mediante unione, et agens non attingit effectum nisi mediante actione, nequaquam importat quod unio sit formalis causa, et effectus sit mediatu; et sic a pari, quod objectum non moveatur nisi mediante ejus attingentia, nullatenus importat quod illa attingentia sit objectum, sed ad summum quod sit conditio requisita ad idem objectum quod. Quae quidem omnia latius exposita habes apud Cajet. in cit. q. 17, art. 5, ubi spes demonstratur esse virtus theologica.

Ex his deducimur ad aliud argumentum ejusdem prioris partis asserti nostri. Hoc tamen argumentum non nisi brevissime

atingimus, remittentes ad modo cit. locum Cajetani. Admittunt omnes spem esse virtutem theologiam. Atqui hoc non salvatur, nisi Deus ipse sit objectum quod primum et immediatum ejusdem spei. De notione enim virtutis theologicae est ut Deus solus sit primum objectum et motivum ejusdem virtutis, quod late explicat Cajetanus cit. loc. Et patet tum ex comparatione cum fide et charitate; et a contrario ex collatione cum timore Dei et religione. Nec prodest dicere ad denominationem virtutis theologicae seu divinae sufficere ut Deus sit partiale objectum immediatum, simul cum visione aut aliis bonis creatis. Nam, ut notant Salmant., ead. disp. I, dub. I, § I, n. 5, „hoc admissio, non erit major ratio, ut denominetur potius a Deo, quam a creaturis. Imo vero, cum malum ex quocumque defectu contingat, satis erit ad hoc ut spes cadat a denominatione virtutis theologicae, quod attingat immediate et per se primo creaturam, tamquam partem sui objecti adaequati. Sicut ad hoc quod homo dicatur materialis, sufficit componi ex una parte quae sit materia, licet habeat aliam partem spiritualem.“

Obiter advertite quaecumque diximus de objecto materiali spei supernaturalis ac divinae, suo modo aptari spei circa finem ultimum, qualis fuisset in ordine naturae, cum discrimine tamen valde notabili, de quo infra, quod scilicet intelligendus sit Deus ipse cum connotatione, non visionis beatificae, sed attingentiae proportionatae ad naturam, quamquam in illo ordine perfectissimae, remotis impedimentis, etc.

Altera pars assertionis supra positae, post probatam priorem, non indiget demonstrari; ita breviter Card. Gotti, tr. XI de Spe, q. I, dub. II, § I, n. X: „Virtus primario tendens efficaciter in finem, secundario respicit media ad finem conducentia: atqui spes est virtus primario tendens in beatitudinem objectivam, ut possidendam; ergo secundario respicit bona creata ad beatitudinem conducentia.“ Vid. S. Thomam, 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 2, ad 2^m, coll. art. 4.

Et haec quidem de objecto materiali spei.

Secundo dicendum est de objecto formali. Jam praecipuimus quaestionem quomodo objecto spei primario seu Deo

applicari possint seu in eo verificari formalitates futuri, ardui et possibilis, de quibus solis erat difficultas. Nunc autem reliqua est alia quaestio, in quo praecise consistent rationes boni nobis et ardui in objecti spei. De ratione futuri non est locus huic quaestioni, ut patet; nec etiam de possibili, de quo caeterum ubi de motivo spei theologicae.

Ratio ergo boni nobis quae sit, facile eruitur ex dictis de objecto spei theologicae, quod est Deus connotando ejus assecutionem per visionem et fruitionem beatificam, seu connotando beatitudinem nostram absolute perfectam seu supernaturalem. Haec est igitur ratio summi boni nobis, quod Deus sit beatitudo nostra. Unde etiam solvitur controversia, a quibusdam inducta, an illa ratio boni consistat in essentia divina prout virtualiter ab attributis distinguitur, aut in singulis perfectionibus divinis, quae in suo genere infinitae Deum summe bonum formaliter constituunt, an vero in cumulo omnium perfectionum. Respondetur enim hoc ultimum dictum esse amplectendum, cum sub ea ratione Deus apprehendatur ut ratio adaequate beatificans hominem.

Ubi nota discrimen inter spem theologicam et spem circa finem ultimum naturae, qualis in ordine purae naturae fuisset. Ut jam supra advertimus, in hac altera spe, non agitur de bonitate qua Deus nos beatificat supernaturaliter et absolute, sed de bonitate qua nos felices redderet relative perfecte, proportionate ad naturam nostram.

Major difficultas est de ratione ardui, et maxima Auctorum dissensio, ut videre licet apud Salmant., tr. de Spe, disp. I, dub. II, § II et IV. Ut breves simus, haec est sententia Salmanticensium: „arduitatem per se pertinentem ad objectum spei consistere in difficultate illud consequendi, quae quantum est de se laborem et afflictionem affert; ea vero impedimenta aut molestias, quae hanc difficultatem fundant, si secundum particulares rationes considerentur, pure materialiter se habere, atque ideo arduitatem per se non consistere in aliquo determinato.“ Ita ut difficultas quae arduitatem constituit, sit varia pro variis statibus et dispositionibus subjectorum remotorum spei, Angelorum aut hominum, nondum finem adeptorum, et rursus hominum

in statu justitiae originariae, aut lapso, denique vel in hac vita, vel in purgatorio, vel in limbo Patrum.

Et probant ex eo quod reipsa, considerando varia subjecta spei, et in variis statibus, diversis omnino difficultatibus respectu finis attingendi subjacent sperantes; et deinde excludendo omnes alias opiniones, rationes aliquas particulares pro ratione ardui spei propria assignantes, quas ostendunt insufficientes, non universales, seu alias non satisficientes.

Consentimus quidem Salmanticensibus, in eo quod non consistat universaliter ratio ardui in impedimentis fundantibus contingentiam et dubietatem circa consecutionem boni, ut quidam dixerunt: nam divina etiam revelatione certus de salute, potest sperare; animae Purgatorii sperant; Patres in limbo speraverunt.

Ulterius vero distinguimus inter spem in communi seu rationem ardui quae universaliter omni spei applicetur, et spem specificam circa finem ultimum, ac rursus in ordine naturae et in ordine praesenti, seu inquirimus utrum in hac spe, utraque vel alterutra, non sit ratio aliqua specialis ardui, universalis tamen respectu omnium sperantium. Nobis videtur apud Salmanticenses aliqua confusio, ex neglecta illa distinctione; quod quidem facile perspiciet, qui dictos Auctores legerit.

De spe in communi verum dicunt Salmanticenses, arduum etiam non consistere in eo quod oporteat bonum ab alio sperare, seu dependenter ab alterius voluntate, vel, quod in idem recidit, quod bonum non plene subjiciatur potestati nostrae: et ratio est, tum quia sperare possumus etiam ea quae sunt in potestate nostra, modo sint difficilia; tum quia, si in istis enumeratis consisteret arduum, omne desiderium boni ab alio obtinendi esset spes, et tamen Beati quaedam a Deo desiderant quae non sperant, ut ostendit S. Thomas, in 3, dist. 26, q. 2, art. 5, quaestiunc. 2, et 1^a 2^{ae}, q. 67, art. 4, ad 3^m, de quibus textibus infra dicemus.

Sed loquendo de spe circa finem ultimum, et primo quidem circa finem naturae, qui fuisset Deus, connotando attingentiam naturae proportionatam, dubitari potest an magnitudo seu prae-cellentia boni, sola Providentia naturali Dei auxiliante attingenda,

non sit ratio ardui specialis, omni tamen speranti communis. Attamen, finis naturae, utpote in cognitione Dei abstractiva tantum seu per effectus, et in quadam fruitione respondente, consistens, manet proportionatus naturae eique debitus, et licet sit bonum perfectum, non tamen absolute sed in ordine illo tantum; adeoque perducere hominem ad illum finem est aequivalenter effectus finitus, et non ita proportionatus infinitae virtuti, ut eidem faciat necessario et secundum se inhaerere; et, seclusis per hypothesim aliis quibuscumque difficultatibus et impedimentis, homo quidem desiderasset et quodammodo exspectasset a Deo illum finem, sibi proportionatum, sibi debitum et paratum, non vero proprie eundem sperasset necessario a Deo. Et certe, in ordine naturae, exstitisset spes, tum ut actus, tum ut habitus acquisitus, qua homo inhaesisset Deo, ratione difficultatis et impedimentorum sine Providentia et auxilio Dei naturali non vincendorum, sed non fuisset necessaria ratione arduitatis objecti quasi ab intrinseco postulantis virtutem divinam infinitam; nec fuisset necessarius habitus spei ad inclinandum hominem in finem, quoniam ipsa natura voluntatis fuisset inclinatus quasi pondere naturae et dispositus ad finem prosequendum.

Atvero, in ordine praesenti, censemus aliter esse loquendum. Sicut enim virtus infusa spei omnino necessaria est quasi pondus supernaturale ad inclinandum hominem in finem supernaturalem, et ab intrinseco quidem necessaria, non ratione difficultatis extrinsecae, sed ratione supereminetiae objecti sperati: ita etiam supereminetia haec objecti facit ut necessario inhaereat homo virtuti divinae. Ubi nota discrimen cum fine naturae: perducere enim hominem ad finem supernaturalem est aequivalenter effectus finitus et proportionatus virtuti infinitae, ita ut necessario et secundum se ad finem illum attingendum homo inniti debeat omnipotentiae auxilianti. Unde optime intelligimus cur S. Thomas objectum spei theologicae beatitudinem aeternam dicat, objectivam nempe, at connotando formalem, quae vere est possessio Dei, cum finis naturae non nisi valde improprie dici posset Dei possessio, et non sit conjunctio seu unio cum ipso Deo nisi valde remote et improprie.

Itaque opinamur rationem specialem ardui seu praecellentis, ut loquitur S. Thomas, spei theologicae propriam, et omni theologice speranti communem, esse sitam in objecti sperati eminentia tali, quae secundum se petat sperantem inniti omnipotenti Dei auxilio. Hanc rationem ardui dicimus sufficere ad rationem spei theologicae in omni sperante, non tamen excludimus alia impedimenta et difficultates, sperantibus occurrentia.

In confirmationem adducere possumus verba S. Bonaventurae, in 3, dist. 26, ubi loquens de spe per comparationem ad objectum suum, inter alia haec habet: „Est ergo objectum spei bonum quidem, sed non sub ratione boni, sed magis sub ratione ardui sive magni. Et hoc quidem sic habet manifestari. Spei enim duplex est actus, quorum unus est principium et origo alterius: spes enim facit confidere, et faciendo confidere facit exspectare. Nullus autem recte confidens confidit et innititur nisi in eo qui nec possit nec velit sibi deficere, talis autem non est nisi ille qui est potentissimus in virtute, et munificentissimus in liberalitate, et hoc non habet nisi habeat excellentiam virtutis et largitatis. Cum autem quis totam fiduciam suam in eum posuit qui excellentissimae virtutis est et liberalitatis, magna ab eo exspectat se assecuturum. Quoniam ergo spes habet objectum magnum et arduum in confidendo, hinc est quod habet pro objecto magnum et arduum in exspectando. Et hinc est quod ipse Dominus in quem speramus magna promittit nobis in consolationem spei nostrae, juxta quod dicit Abrahae, Gen. V, Noli timere, Abraam, quia ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis; quasi diceret: ego protector in quo debes confidere, et merces tua magna quam debes exspectare. Concedendum est ergo quod objectum spei est bonum sub ratione magni et ardui. Et quia gloriosum nominat magnum sublimitate, aeternum nominat magnum diuturnitate, illud intensive, istud extensive, ideo concedi potest etiam quod objectum spei sit bonum sub ratione gloriosi, et sub ratione aeterni, et hoc sub ratione excellentis et indeficientis, quae duo concurrunt ad perfectam rationem magnitudinis ipsius boni. Concedendae sunt ergo rationes quae sunt ad partem istam.“ Vellemus et has

rationes addere, et solutionem objectionum, quae citatum textum immediate sequitur; at, brevitatis causa, ultimam tantum exscribimus magis notabilem: „Ad illud quod objicitur quod spes est exspectatio futurae beatitudinis, dicendum quod spes non exspectat beatitudinem nisi in quantum tenet rationem magni et ardui, hoc est, rationem excellentis et indeficientis. Et quia ista duo importat beatitudo de sua prima ratione, hinc est quod spes magis habet diffiniri per beatitudinem quam alia virtus.“

Haec nemo non videt quam rite consentiant cum sententia nostra. Praeterea, argumenta quae opponunt Salmanticenses, iis qui arduum spei constituunt in eminentia, vel supernaturalitate boni sperati, aut in eo quod bonum speratum debeat esse ab alio, minime infirmant aut nec attingunt nostram explicationem. Non enim dicimus in eminentia vel supernaturalitate per se consistere arduum, nec in eo quod bonum speratum sit ab alio, sed in eminentia tali, quae secundum se et necessario faciat inhaerere virtuti infinitae, seu in rationi gloriosi et aeterni, ut ait S. Bonaventura, quae ratio importatur primario et de se in beatitudine, a qua proin spes magis habet definiri quam alia virtus; unde haec ratio ardui propria est spei theologicae, et aequivalenter effectus infinitus, etc., ut supra dicebamus, quod non valet de supernaturali et quocumque modo eminenti, sed de gloria aeterna tantum. Imo et textus ab ipsis Salmanticensibus ex S. Thoma allegati, potius egregie confirmant opinionem nostram, quos vel eo fine juvat referre, ut appareat quam mire sibi invicem consentiant principes illi Doctores, quam alta reflexione sua verba perpenderit, quam profundus eorum sensus, ideoque non leviter, si temeritatis notam effugere velimus, interpretanda. Haec dicit S. Thomas, in 3, dist. 26: „Habenti gloriam essentialem, quae in Dei visione consistit, quidquid aliud creatum est, parvum est; et ideo non potest esse spes neque de gaudio, quod de salute aliorum eis accrescit; neque de gaudio, quod accrescit animae de gloria corporis; sed potest esse de eis desiderium, et hoc desiderium exspectatio large dicitur.“ Et in 1^a 2^{ae}, q. 67, art. 4, ad 3^m: „Respectu autem gloriae corporis in animabus Sanctorum, potest quidem esse desiderium, non tamen spes,

proprie loquendo, neque secundum quod spes est virtus theologica: sic enim ejus objectum est Deus, non autem aliquod bonum creatum; neque secundum quod communiter sumitur, quia objectum spei est arduum. . . . Bonum autem cujus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui, etc.“

Et hoc addere possumus, nostram sententiam plura vitare incommoda, ut quod arduum in spe theologica sit plane extrinsecum et quasi accidentale, item quod aegre explicetur spes in certis subjectis, puta, in Patribus in limbo degentibus; cum in nostro dicendi modo, haec explicatio sit facilis et clara; et optime intelligatur rationem ardui esse per se conditionem objecti in spe, etiam theologica, contra illos qui spem vellent confundere cum desiderio efficaci.

Quaedam etiam in modum corollarii vel scholii adjungi possunt, quae simul dicta confirmant. Ita apparet in nostra sententia, quomodo in spe theologica omnia sunt summa, et omnes formalitates objecti sibi bene respondent: objectum enim est bonum infinitum, aeternum, in quantum bonum nostrum summum, in quantum futurum ultimum, in quantum summe arduum seu excellens et indeficiens, infinita virtute efficiendum et ex hac parte certissimum et infrustrabile, de qua certitudine infra.

Optime etiam perspicitur connexio variarum formalitatum praedictarum. Possibile siquidem per infinitam virtutem supponit summe arduum; arduum supponit futurum, habitum enim jam difficile non est; arduum seu excellens supponit bonum. Praeterea possibile per virtutem Dei etiam directe supponit bonum et futurum.

In superioribus tetigimus duplicem quaestionem, de qua verbulum addi meretur, nempe de habitu spei acquisito; et de necessitate rationis ardui in spe, contra illos qui spem cum desiderio efficaci confundunt.

Ut diximus, habitus spei specificus circa finem ultimum existere potuisset in ordine naturae; in ordine praesenti, item non repugnat habitus acquisitus spei ex actibus, etiam supernaturalibus, spei repetitis, manens tamen ordinis naturalis; et potest

coexistere cum virtute infusa spei. At habitus ille deficit a perfectione virtutis, prout versatur circa objectum supernaturale, imo etiam prout attingit objectum naturale; quae quidem omnia explicavimus in tract. nostro de Prudentia, fort. et temperantia, nempe in Prooemio, pag. XXI—XXIII, et non censemus heic repetenda; in eod. tract., in Introd. de virt. card., p. 8—10, reperies explicatam coexistentiam et relationem ad invicem virtutum supernaturalium seu infusarum, et moralium ordinis naturalis, harumque utilitatem in praesenti ordine, quamquam et hae absolutam perfectionem virtutis non habent, sed relativam tantum in suo ordine; et haec facile transferes ad relationem inter spem theologiam infusam, et coexistentem habitum acquisitum, hujusque utilitatem in ordine praesenti.

Quod illos attinet qui spem cum desiderio confundunt, satis quidem contra ipsos demonstrata est necessitas rationis ardui in spe, ut conditionis distinctivae a desiderio, sed aliqua remanet difficultas, praecipua quidem quam opponunt, solvenda. Objiciunt nempe amorem concupiscentiae supernaturalem circa Deum ut est beatitudo nostra, quem dicunt esse actum theologicum, non tamen charitatis, ut patet; ergo, ajunt, spei. Si autem ille amor est actus spei, manifestum est, cum non requirat rationem ardui, hanc rationem non esse conditionem necessariam in objecto spei. Quod amor concupiscentiae, qui et amor spei dicitur, cum spei supponatur et in ea quasi in actu exercito contineatur, sit actus honestus et supernaturalis esse possit, omnino concedimus; item, quod non sit actus charitatis liquet; quod sit actus theologicus distinctione eget: est actus virtutis theologicae proprius et primarius, negatur; est actus theologicus, quatenus circa Deum immediate versatur, secundario procedens ab aliqua virtute theologica, vel ab habitu aliquo imperfecto, aut ab auxilio transeunte, conceditur. Est scilicet amor concupiscentiae actus essentialiter imperfectus, respectu spei inchoativus eique praesuppositus, ut ex dictis patet, respectu charitatis dispositivus, ut, favente Deo, explicabitur, ubi analysim amoris et charitatis instituere licuerit. Unde in habentibus spem, potest procedere ut actus secundarius a spe; in habentibus charitatem, a charitate, quatenus diligens

Deum, seipsum etiam ex charitate diligit, sibi que concupiscit finem ultimum; potest etiam procedere ab habitu bono et supernaturali, licet deficiente a perfectione virtutis, qui se habeat ad spem, sicut relate ad fidem pius credulitatis affectus. Et si habitus talis non admittatur, aut saltem non putetur necessarius, nihil prohibet hujusmodi amorem concupiscentiae supernaturalem procedere ex auxilio transeunte; et certe amor concupiscentiae ordinis naturalis non requirit nec producit habitum, cum voluntas natura sua in bonum proprium inclinatur. Nec putandum est omnem actum honestum vel et supernaturalem petere virtutem specialem, sed illum tantum qui specialem habet difficultatem, qualis non est amor concupiscentiae, et qui in potentia in qua residet ultimate assequitur suam rectitudinem, quod rursus non verificatur in casu.

Tertio tandem, post longam de formalitatibus objecti formalis spei disceptationem, remanet brevius dicendum de motivo spei proprio. Post explicata tum de spe in communi, tum de spe specifica, praesertim theologica, non est difficultas: constat enim hoc motivum esse auxilium Omnipotentiae divinae; et haec est constans S. Thomae doctrina, ut vel ex textibus supra recitatis abunde et clare elucet.

Ne tamen videamur id quod praecipuum est negligere, ita possumus simplicissime motivum spei theologicae demonstrare. Si inquiramus nempe ab aliquo, quare beatitudinem seu finem suum ultimum amet et desideret, recte respondebit: quoniam illud est supremum bonum meum et aeterna felicitas summopere optanda. Si vero ulterius interrogetur, unde confidat et praesumat tantum bonum se consecuturum, cuinam innitatur motivo ad bonum tam superexcedens et arduum exspectandum, et sperandum; non potest rationabiliter idem superius responsum repetere, sed recte respondebit: quia, licet tam excellens sit bonum et arduum, mihi suppetit omnipotens auxilium Dei, quod infallibiliter potest me ad hoc bonum perducere. Ibi que sistet interrogatio, nisi stultus sit interrogans: redditur enim ei proprium confidentiae motivum, ultimaque causa adaequata sperandi; sicut dux exercitus interrogatus cur speret victoriam, non

respondebit: quia bona vel ardua, sed: quia, cum sit bona et ardua, possibilis est per vires meas vel validum auxilium.

Ut rem absolvamus, quaedam sufficiet adjicere quae argumentum vel confirment, vel et ulterius explicent ac praeveniant objectiones.

Et primo quidem, non inutilis erit praevia quaedam animadversio, ne videamur versari in circulo vitioso, supra demonstrantes objectum primum spei theologicae, supposito ejusdem motivo; nunc vero ejusdem motivum, supposito objecto. Dato enim illo qualicumque circulo, non tamen circulus proprie vitiosus erit: nam, quod dato tali objecto et tali motivo, ea perfecte sibi consentiant, et omnes formalitates objecti formalis rite demonstrantur adesse ac optime cum materia et motivo convenire, non leve est indicium veritatis. At praeterea, circulus non est: quia aliunde etiam ostendimus quodnam sit proprium objectum spei, videlicet nisi sit illud quod indicavimus, spem non esse virtutem theologiam; item nisi beatitudo objectiva intelligatur, connotando formalem, finem ultimum revera non attingi, cum beatitudo formalis in se non sit finis ultimus, nec sit objectum beatificans sed ejus assecutio.

Praesens deinde argumentum confirmatur ex paritate cum fide theologica, ut jam satis deduximus ab initio ex textu S. Thomae, q. unic. de Spe, art. 1, coll. 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 5 et 6; ideoque huic rei non immoramur nunc.

Uterius advertite quam merito in dicto argumento motivum istud auxilii omnipotentis Dei supponatur 1^o unicum ac adaequatum motivum spei theologicae, et 2^o vere ultimum. Ex quo etiam deduces quid proprie intelligatur nomine istius auxilii divini.

Et debet quidem 1^o esse adaequatum ac unicum motivum, eo sensu quod nihil creatum illud ingrediatur, secus non erit spes virtus theologica: unde statim concludere auxilium Dei heic non intelligi de auxiliis ad extra, seu in praesenti ordine de gratiis nos elevantibus et adjuvantibus ad finem, quae omnia sunt dona creata, sed de ipsa Dei Omnipotentia seu actu Dei immanente cum connotatione effectus auxilii ad extra, seu, in

praesenti, gratiae. Quid autem formaliter importet ille actus Dei immanens, an praeter Omnipotentiam, etiam formaliter et in recto alias perfectiones divinas complectatur, bonitatem, misericordiam, fidelitatem, dicemus sub 2^o, ubi ostendemus motivum auxilii hujus divini esse vere ultimum.

Ex eo quod nihil creatum ingredi possit motivum virtutis theologicae, etiam concludere merita nostra, intercessionem Sanctorum, aliave quaevis creata non esse motivum inadaequatum seu parziale spei theologicae. Quod enim ea sint media quaedam salutis, importat quidem quod sunt objectum materiale spei secundarium et subordinatum primario, sicut Deus est objectum principale; item quod sunt causae efficientes secundariae et instrumentales salutis, sicut Deus est causa efficiens principalis, qui iisdem utitur ad perducendum hominem ad salutem; quod utrumque declarat S. Thomas, hanc q. 17, art. 4; nequaquam vero importat quod sint motivum parziale sperandi, imo ne secundarium quidem motivum sunt, et certe motivum non nominat l. c. S. Doctor.

Replicabis. a) Si Deus ut auxilians est causa efficiens in spe, non potest esse quae talis motivum spei. Causa enim efficiens nequit habere rationem causae formalis, et species rei non sumitur ab agente sed a forma. Et b) certe auxilium Dei est quid extrinsecum respectu beatitudinis, ergo non potest esse formalitas ultima eam specificans ut objectum spei. Vel c) si dicas simul esse causam efficientem et formalem, non est inconveniens quod, sicut est causa efficiens principalis, compatiens causas secundarias, sit etiam motivum principale, compatiens motiva secundaria; quemadmodum etiam est objectum materiale principale, compatiens objecta secundaria.

Respondemus. a) Deus auxilians est simul causa efficiens, et formale motivum, respectu diversorum: habet nempe auxilium Dei rationem causae efficientis respectu beatitudinis, et mediorum ad illam; rationem vero motivi respectu actus et virtutis spei. Adeoque tota objectio cadit.

b) Ad secundum, respondetur rursus sub distinctione: auxilium est extrinsecum respectu beatitudinis, in esse rei, conc.; in esse objecti specificantis motum spei, neg.

c) Negatur paritas allegata. Ut enim vidimus, sub a), auxilium Dei non est causa efficiens motus spei, sed beatitudinis, et nullum est inconueniens, quod Deus, ut principalis causa, habeat causas instrumentales sibi subordinatas, ad efficiendam beatitudinem; imo, in hac re, sicut in toto universo, hoc confert ad ordinem et pulchritudinem, et commendat Dei sapientiam ac bonitatem. Motivum vero est auxilium Dei, respectu motus spei; et in ratione motivi maximum est inconueniens distinguere primum et secundarium, quamquam rursus nullum est inconueniens ita distinguere in objecto materiali. Et istud quidem inconueniens egregie explicant Salmanticenses, cit. tr. de Spe, disp. I, dub. III, § I, n. 54: „Tum quia est contra communem modum loquendi theologorum: licet enim admittant pluralitatem objectorum quod, illam tamen non recognoscunt in objecto quo, sive ratione sub qua . . . [sicut patet etiam in charitate et in fide]. Tum etiam quia nomen et ratio objecti quod indifferens est ad primum et secundarium; nomen autem objecti quo, sive rationis sub qua, determinate applicatur motivo formali et principali, quod semper est unum. . . . Et ratio differentiae est, quoniam objectum quod habet rationem materiae, objectum autem quo rationem formae. . . . Non est autem inconueniens, quod ex parte materiae detur pluralitas partium, quia species et unitas rei non sumitur a materia. Forma vero, cum det unitatem et speciem, debet esse, quantum fieri potest, unica et indivisibilis, ut liquet etiam in rebus naturalibus. Unde licet non sit inconueniens dari pluralitatem ex parte objecti quod sperati, ita ut unum sit primum, et aliud secundarium; absurdum tamen est admittere eandem vel similem multipliciter ex parte objecti quo, sive rationis sub qua; praesertim cum haec det speciem, quae numquam se habet secundario. Unde merita, suffragia Sanctorum, similiaque subsidia vocanda non sunt objectum quo secundarium, vel ratio sub qua secundaria spei theologicae; sed reducuntur ad auxilium Dei, tamquam media per quae Deus nos perducit ad salutem, et quae certiores nos reddunt de eodem auxilio, animosioresque proinde faciunt ad sperandum.“

2^o. Sicut auxilium Dei ostendimus esse motivum adaequatum et unicum spei theologicae, et inde jam intelleximus istud auxilium non intelligi de creatis auxiliis, sed de actu immanente Dei, connotato effectu: ita nunc demonstrandum remanet idem auxilium esse motivum vere ultimum, ex quo deducemus quamnam aut quasnam perfectiones divinas importet seu complectatur dictum motivum seu auxilium, et intelligemus motivum esse unum, non multiplex, ita ut unam, non plures, complectatur Dei perfectiones.

Jamvero auxilium istud, ut motivum spei, formaliter et in recto complecti solam Dei Omnipotentiam auxiliantem, adeoque hanc esse motivum ultimum, quod scilicet in esse motivi non resolvitur ulterius, optime rursus declarant, invocando paritatem cum fide, iidem Salmanticenses, loc. modo cit., § II, n. 57: „Licet enim, ajunt, prima Veritas supponat summam Dei sapientiam, ratione cujus falli non potest, et summam Dei bonitatem, ratione cujus fallere non valet, et absque illis non subsisteret; nihilominus immediatum et adaequatum motivum fidei est prima Veritas revelans . . . quin praedictum motivum intrent formaliter bonitas et sapientia; eo quod homo interrogatus quare Deo credat, sufficienter et adaequate respondet, quia est summa Veritas in dicendo, ibique ultimo sistit resolutio objectiva fidei. Et si ulterius inquiratur, quare Deus sit summa Veritas, et respondeat, quia summe sapiens et bonus est, jam interrogatio et responsio diriguntur ad resolutionem in esse rei primae Veritatis in suas radices. . . . Hoc ergo pacto dicimus auxilium Dei, quod est ratio sub qua et objectum quo spei, esse formaliter in recto actum divinae potentiae executivae, sive Omnipotentiam auxiliantem: praesupponere autem misericordiam, fidelitatem aut alia etiam attributa, a quibus potest procedere quasi imperative. Et ratio est, quia actus auxiliandi, sive Omnipotentia auxilians supponit misericordiam, a qua imperatur, et fidelitatem, quam exsequitur; actus quippe pertinens formaliter ad unum attributum potest esse imperative, directive, aut secundum alias rationes ab aliis. Unde resolutio objectiva spei ultimo et adaequate sistit in Omnipotentia auxiliante; alia vero resolutio ejusdem Omni-

potentiae auxiliantis in alia attributa est resolutio non objectiva, et in esse motivi, sed in esse rei, et in ordine ad proprias quasi causas.“

Ex his intelligitur quomodo in S. Literis, apud Patres, aliosque scriptores ecclesiasticos, nunc haec, nunc illa Dei perfectio ut fundamentum aliquod spei nostrae exhibeatur: non videlicet quasi motivum proprium spei semper indicare velint, aut multiplex sit idem motivum, sed quia alia perfectio motivum est, aliae ut radices quaedam praesupponuntur. Item intelligitur doctrinae nostrae non obstare additum illud apud S. Thomam: „auxilium divinae potestatis et pietatis“, seu apud S. Bonaventuram: „excellentissimae virtutis et liberalitatis.“ Auxilium enim vere est executive ab Omnipotentia, et ideo in recto auxilium semper dicitur a S. Thoma, vel etiam Omnipotentia auxilians; imperative tamen procedit ab aliis attributis, potissimum pietatis et misericordiae, quae ideo aliquando addit S. Doctor in obliquo, sicut et alii scriptores.

Ubi etiam nota hanc misericordiam seu pietatem non confundi cum bonitate Dei respectiva, qua Deus est bonum nostrum; nam haec est prima formalitas in objecto spei, illa vero pertinet ad ultimam, quod sit possibile. Unde jam, in sententia admittente motivum multiplex, haberemus tria attributa diversa ut motivum spei: bonitas respectiva, omnipotentia, et misericordia. Praeterea, cum spes, ratione suae omnimodae certitudinis ex parte Dei, supponat Dei promissum et fidelitatem Dei in promissis, concludimus motivum spei seu Omnipotentiam Dei auxiliantem etiam praesupponere ejus fidelitatem, quam exsequitur. Illi vero, non recte concludunt et fidelitatem Dei, et promissum ingredi motivum, ita ut quidam reipsa statuunt Deum sub quintuplici respectu esse motivum spei: ut est bonum nostrum, omnipotens, misericors, fidelis in promissis, et promittens. Quam mira haec sint et parum philosophica, ex supra dictis elucet. Textus autem Scripturae quos allegant pro fidelitate et promisso Dei, ut motivo, non aliud faciunt quam dare rationem firmitatis et certitudinis spei, quae est praecipua proprietas spei theologicae infra paulo declaranda.

Ita finem imponimus explicationi elementi objectivi spei theologicae, quod ex dictis ex integro supernaturale est ac divinum, ex quo virtutem theologiam esse spem descriptam, jam demonstratione non indiget. Cf. S. Thomas, 2^a 2^{ae}, q. 17, art. 5; ubi ad 2^m utiliter conferes 1^a 2^{ae}, q. 64, art. 4; et addes quomodo praesumptio alia opponitur spei, alia magnanimitati, quod quidem nec difficultate caret, nec utilitate ad doctrinam de spe integre et penitus intelligendam; quia tamen haec quaestio directe non spectat ad praesens institutum, et eam alibi ex professo solvimus, remittimus ad illum locum, in tract. de Prud., Fort., et Temp., pag. 85—87.

Item aliae sunt considerationes, quae ulterius quidem ipsam spem explicant, et confirmant doctrinam nostram, facile vero ex eadem intelliguntur, pro quibus ideo remittimus ad S. Thomam. Talis est comparatio spei ad alias virtutes theologicas: nempe quod spes sit virtus distincta ab aliis virtutibus theologis (q. 17, art. 6), quod fides praecedat spem (art. 7), an sit prior aut posterior spes charitate (art. 8), quocum cf. art. 3 ejusd. quaest., utrum aliquis possit sperare alteri beatitudinem aeternam; et q. unic. de spe, art. 3; item 1^a 2^{ae}, q. 62; et q. 65, art. 4 et 5. Et haec quidem addimus, ut lector integram S. Thomae doctrinam ante oculos habere valeat.

Post elementum objectivum, oportet considerare elementum subjectivum spei theologicae. At rursus subjectum proximum spei esse voluntatem, adeoque spei theologicae voluntatem supernaturaliter elevatam, excitatam et adjutam, ex universim disputatis plane evidens est. Cfr. S. Thomas, 2^a 2^{ae}, q. 18, art. 1; et q. unica de spe, art. 2. Subjectum vero remotum supra aliquantulum attigimus, et remotius quidem hoc ad analysim spei pertinet quam ut ei nunc inhaereamus. Cf. 2^a 2^{ae}, q. 18, art. 2, utrum spes sit in beatis, et 1^a 2^{ae}, q. 67, art. 4 et 5; item 2^a 2^{ae}, q. 18, art. 3, utrum spes sit in damnatis, et q. unic. de spe, art. 4, utrum spes sit solum in viatoribus.

Non est etiam cur de habitu seu virtute spei theologicae plura dicamus, siquidem fere omnia ex variis locis supra colligi possunt, et caeterum habitus natura explicatur per naturam

actus, illud autem praecipuum intentum nostrum erat naturam spei theologicae demonstrare.

Universae ergo elucubrationi nostrae finem imponimus, sicut facit S. Thomas in tractando de spe, proponendo nempe praecipuam spei theologicae proprietatem; quod quidem rationabiliter fit, post explicatum utrumque spei elementum, objectivum et subjectivum, cum certitudo aliquid importet ex parte utriusque elementi, ut statim patebit.

En igitur breve commentarium in 2^m 2^{ae}, q. 18, art. 4.

Certitudo essentialiter et proprie est in vi cognoscitiva, et dicit duo: ex parte objecti, quod hoc sit infallibiliter verum (infallibilitatem); ex parte subjecti, quod hoc sine fluctuatione et dubitatione adhaereat objecto ut vero (firmitatem).

Haec certitudo essentialis, propria vi cognoscitivae, potest participari et participatur in omni eo, quod a vi cognoscitiva infallibiliter movetur ad finem suum, sicut in natura mota ab intellectu divino, et virtute morali mota in modum naturae a ratione. Et haec certitudo participata rursus infert duo: ex parte objecti, quod motui respondeat infallibiliter proprium objectum, et ita dicitur motus infrustrabilis; ex parte subjecti, seu ipsius motus, quod firmiter inhaereat suo objecto, et ita dicitur firmus, excludens fluctuationem.

Jamvero certitudine supernaturali fidei constat ex promissione Dei, qui rursum fide infallibili cognoscitur fidelis, beatitudinem aeternam nobis proponi ut finem; Omnipotentiam quoque auxiliantem Dei ex parte sua non posse deficere, fide certum est; et haec igitur sunt objective infallibilia, et intellectus fide illustratus haec firmiter sine dubitatione tenet.

Ita ergo spes secundum se participat illam certitudinem fidei, ut sit objective infrustrabilis, subjective summe firma, excludens omnem timorem.

Haec quidem de spe secundum se. In subjecto vero sperante, oportet duo considerentur: 1^o ipsa spes, quae, ut dictum est, secundum se est infrustrabilis et summe firma; et 2^o impedimenta quae non ex parte spei ipsius, seu Dei cui spes innitur, sed ex parte subjecti sperantis exurgunt. Et promissio quidem

vitae aeternae non est absoluta, sed sub conditione meritorum: quia vero, seclusa speciali revelatione, nemo viator fide certus est de gratia et meritis, nec de obice auxilio divino non posito, aut in futurum non ponendo, ideo ex parte sperantis, non spei ipsius, ipse sperans viator, non ipsa spes, frustrari potest objecto spei, et numquam esse potest sine timore.

Sed heic oritur difficultas. Licet theologice certum habeatur, tamen de fide non est, omnibus, etiam peccatoribus obduratis, concedi auxilium sufficiens. Ergo ex parte ipsius spei, seu Dei cui tales inniti debeant, est incertitudo, quia deest in intellectu saltem absoluta fidei certitudo.

Respondetur. Etiam si talis certitudo desit auxilii creati, id tamen non est ex incertitudine et defectu Omnipotentiae auxiliantis, sed ex parte ponentis obicem; adeoque incertitudo non est imputanda spei, seu Deo cui spes innitur, sed illi qui obicem ponit aut posuit. Nec dicimus omnes sperantes debere certitudinem fidei habere sibi hic et nunc adesse auxilium sufficiens, ut spes secundum se sit certa, et illi sperare possint firmiter; sed sufficit ut fide teneant quod reipsa fide constat de objecto et motivo spei, ad hoc ut affectus respondens sequi possit seu spes consistere certa; non ergo requiritur ut fide credat unusquisque sibi applicari hic et nunc effectum Omnipotentiae, seu auxilium creatum, quod nemo sine revelatione scire potest, sed sufficit non eliciat iudicium oppositum, quo omnem affectum, vel saltem affectum firmum erga objectum et motivum spei excludat. Aliis verbis, tria sunt iudicia praevia in intellectu, fide illustrato, dirigente affectum spei theologicae in voluntate elevata. Primum est iudicium speculativum fidei: omnibus non ponentibus obicem beatitudinem per auxilium Dei certo esse exspectandam. Et hoc omnino, ut fide certum, praerequiritur ex dictis, ut quis sperare possit theologice, adeoque certo seu firmiter, essentiali firmitate spei propriae. Est hoc iudicium quasi major syllogismi, cujus minor sit secundum iudicium, applicans subjecto in specie illam majorem. Haec autem minor potest esse triplex: a) Atqui adest obex absolutus ex parte mea. Et tunc tertium iudicium seu conclusio esse nequit nisi non esse sperandum. Sed in illa

minore, vel obex intelligitur ita absolutus ut neque auxilio divino tolli possit, et tunc certe excluditur spes, quia excluditur fides in auxilium Dei omnipotens; vel obex intelligitur de facto absolutus et ex parte subjecti, et tunc, manente fide, excluditur spes, non ex parte Dei, et ex defectu certitudinis spei, sed ex parte subjecti, cujus iudicium non solum non est fide certum, sed erroneum. Quod quidem nullo modo praejudicat certitudini spei, ut patet. Potest b) minor ista esse: Atqui absolute non est obex ex parte mea. Hoc iudicium non est fide certum, ut patet, imo est temerarium et falsum esse potest; sed conclusio quae logice infertur seu tertium iudicium: ergo mihi certo sperandum est, non infringit certitudinem spei, quia etiamsi falsa sit minor, vera manet conclusio, non quatenus mediante ista minore infertur ex majori fide certa, sed quia verum est hoc ultimum iudicium aliunde, ut patet ex dicendis nunc de tertia minore. c) Potest minor tandem esse: Atqui, qualiscumque sit obex ex parte mea, nunquam est ex parte Dei, cui innitur spes. Cujus conclusio est absolute practice certa, dictamen ultimum conscientiae fide illustratae, elicited a prudentia infusa: scilicet esse sperandum et spe quidem certa et omnino firma ex parte Dei et spei ipsius, cum timore tamen et tremore ex parte sperantis. Unde videmus spem, quamvis aliquando dicatur ex parte nostra non infrustrabilis nec sine timore, absolute tamen et simpliciter esse dicendam certam, quia omnis incertitudo et fluctuatio ex parte infirmitatis sperantium est, non ex parte spei ipsius; imo timor ex parte nostra, valde salutaris, non remittit spem, sed potius acuit, quia magis inhaerere facit Deo.

Nihil diximus de meritis Christi relate ad spem, quia nec objectum nec motivum spei ingrediuntur; sunt tamen fundamentum quoddam praecipuum mediatum spei nostrae, quoniam intuitu meritorum Christi nobis beatitudo destinatur, et auxilia omnia ac media ad eam Christum habent ut causam principalem meritoriam.

Conclusio.

Confidimus nos aliquid contulisse ad hoc ut lector illos fructus, quos in initio dissertationis praenuntiabamus, percipere jucunde valeat; et praeprimis praestantiam quoque divinae hujus virtutis spei perspiciat. Faxit Deus ut omnes semper „fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis: ubi praecursor pro nobis introivit Jesus.“ (Ad Hebr., VI, 18—20.)

